



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XVIII. De peccato omissionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

& PP. & D. Th. quorum testimonia perquam difficili extricatione solvunt Defensores positivæ malitiæ. Intrinsicè; quia procedit potissimum ex fundamento Theologico sanctitatis Divinæ;

cum sententia opposita fermè nitatur philosophicis rationibus, quæ non admodum difficilem habent solutionem.

DISPUTATIO XVIII.

DE

Peccato omissionis.

Quamvis secundum dicta in Tract. IV. probabiliter dari possit pura omisso peccaminosa, sine omni actu, ferè semper tamen aliquis actus non tantum internus, sed etiam externus cum omissione connectitur. Quæ connexio potest esse vel causalis, si nempe actus per modum causæ, motivi, vel occasionis influat in omissionem, ut si ludendi gratiâ omittas Sacrum præceptum audire. vel concomitans, si nimirum omisso ex alio capite sequeretur, quamvis ille actus nullo modo conjungeretur omissioni, ut si tædio pluvix tempestatis decrevisti manere domi, quo tempore urget præceptum adeundi Ecclesiæ: & tamen, ne sis otiosus, eodem tempore studes. Igitur post examinatam malitiam in peccato commissionis, nunc de malitia tam omissionis, quam actus cum illa conjuncti disputamus, quam pariter in privativo consistere, & esse inordinatam omissionem actus præcepti, jam in priori Disputatione deductum supponimus.

ARTICULUS I.

An, & quale peccatum sit actus Omissioni culpabili conjunctus?

SUMMARIUM.

1. Omissio vitiat actum, qui est causa, vel Occasio illius.
2. Actus tantum concomitanter conjunctus omissioni, per illam non vitatur.
3. Exponitur Authoritas S. Doctoris.
4. Quomodo actus omissioni concomitanter junctus, fiat tempore indebito?
5. Actus tantum concomitans omissionem, est impedimentum naturale, non morale actus præcepti.
6. Actus causans omissionem culpabilem, per se contrahit solius omissionis malitiam.
7. 8. Solvuntur objectiones.
9. Quando nam in confessione debeat exprimi actus omissioni conjunctus?
10. Aliquando somnus conjunctus omissioni culpabili non est peccaminosus.
11. Distractio bonorum, quæ sunt obnoxia restitutioni, est speciale peccatum.
12. Potest esse obligatio studendi, tempore quo urget præceptum audiendi Sacrum.

§. I.

Negatur malitia actus concomitantis, tametsi impossibilis.

1. Certum est, si actus, omissioni culpabili conjunctus, sit causa vel occasio illius, vitari per malitiam omissionis, tametsi foret ex objecto bonus, vel indifferens, uti studium, conversatio &c. Cujus ratio est, quia quod assumitur à voluntate tanquam formalis vel virtualis causa peccati, est moraliter malum; sed, quando actus est causa

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

vel occasio omissionis culpabilis, hoc fit; ergo. Unde eodem præcepto, quo obligamur ponere actum, etiam jubemur removere causas, è quibus prævidemus securam omissionem actus, nisi moralis difficultas & impossibilitas excuset.

Queritur ergo de actu solum concomitanter conjuncto, quamvis alias impossibili cum actu præcepto, ut est v. g. Iustus tempore audiendi Sacrum, utrum per conjunctionem cum omissione actus præcepti malitiam contrahat, præsertim si sit actus ex sua specie vel objecto honestus, ut est studium; nam si sit actus malus, e. g. furtum, habere propriam speciem malitiæ in comperto est.

Affirmativam tuentur Valentia, Lorca, Grando; negativam Alvarez, Cornejo, de la Serra, Suarez, quos citat & sequitur Godoyus hic disp. 22. §. 1.

CONCLUSIO PRIMA. Actus omissioni culpabili tantum concomitanter conjunctus, & supponens firmam omittendi voluntatem, nullam exinde malitiam per se contrahit. Ita Auth. cit.

Ratio est: quia non alià de causâ actus conjunctus omissioni culpabili malitiam contrahit, nisi quia per modum causæ formalis aut virtualis in illum influit; sed actus qui merè concomitanter se habet, neque est causa formalis neque virtualis respectu omissionis, siquidem illa sequitur vi alterius causæ & voluntatis præsuppositæ, & sequeretur, quaptumvis ille actus, studii v. g., non poneretur; ergo nullam contrahit malitiam.

Confirmatur. Si actus omissioni culpabili tantum

Bb

tantum

tantum concomitanter conjunctus contraheret malitiam, tunc, qui omittit sacrum, melius ageret tum abstinendo ab omni opere bono, quam aliquid boni faciendo: imò peccaret tunc aliquid orando, vel legendo: sed consequens est absurdum: ergo.

3. Objicies primò. S. D. q. 2. de malo a. 1. ad 7. inquit: *Hoc ipsum, quod est laudare DEUM ore, potest male fieri, si hoc fiat quando non debet, quando scilicet homo alia facere tenetur.*

Respondeo, S. Doctorem ibidem loqui de oratione vocali, quatenus est causa, vel occasio omittendi rem præceptam, ut si Parochus velit vacare orationi potius, quam administrare Sacramentum, tempore, quo tenetur.

4. Objicies secundò. Opus, quod fit tempore indebito, est malum; sed studium, quod fit tempore audiendi Sacrum, quamvis concomitanter tantum, fit tamen tempore indebito: ergo est malum. Major patet: quia inter circumstantias actus humani est etiam circumstantia temporis; unde hæc viciatur, etiam actus viciatur.

Respondeo distinguendo majorem. Quod fit tempore privativè indebito, h. e. prohibito, est malum, concedo majorem; quod fit tempore solùm negativè indebito, h. e. non quidem præcepto, sed neque prohibito, est malum, nego majorem. Sed studium tempore audiendi Sacrum fit tempore negativè indebito concedo; privativè indebito, nego min. & consequentiam. Nam illi, qui studet, tempore quo ex alia causa omittit Sacrum, studium pro tunc non est prohibitum: vel enim esset prohibitum ratione sui, vel ratione omissionis tanquam causa ipsius: non ratione sui, cum ex objecto sit opus honestum; non ut causa omissionis, cum supponatur omissioni tantum concomitanter & per accidens conjungi.

5. Objicies tertio. Præcepto audiendi Sacrum v. g. prohibetur illud omne, quod impedit auditionem Sacri, est que impossibile cum illo: sed studere impedit auditionem Sacri, est que cum illo impossibile: ergo studium prohibetur præcepto audiendi Sacrum, & consequenter qui studet tempore Sacri, agit contra præceptum audiendi Sacrum.

Respondeo distinguendo majorem. Prohibetur illud omne quod impedit auditionem Sacri formaliter & moraliter, concedo maj. quod impedit materialiter & physicè, nego maj. sed studere impedit auditionem Sacri materialiter & physicè seu impossibilitate materiali & physicè concedo; impossibilitate formali & morali, nego min. & consequentiam. Sensus est, quod ille actus studii non ex vi voluntatis connectentis inferat omissionem Sacri, adeoque non moraliter & formaliter, sed tantum propter naturalem impossibilitatem simul studendi & audiendi Sacrum.

Unde si dicas: Posito actu studii, necessariò sequitur ommissio Sacri: ergo studium est causa hujus omissionis. Respond. vel negando consequentiam, vel dist. anteced. Sequitur ex vi alterius causæ, concedo; sequitur & ex vi ipsius studii, nego, vel subdistinguo anteced. physicè & materialiter loquendo, concedo; formaliter & moraliter nego anteced. & consequentiam.

Qualis sit malitia in actu causante omissionem?

CONCLUSIO secunda. *Actus concomitans cum omissione culpabilis per modum causæ, vel occasio, si ex se sit bonus, vel indifferens, non habet malitiam moralem specie distinctam à malitia omissionis, quam causat.* Ita commun.

Ratio est: Ubi non est nova & distincta oppositio cum aliqua virtute & præcepto, ibi non est nova, & distincta malitia: sed in actu bono vel indifferente ex objecto, v. g. studio causante omissionem Sacri præcepti, non reperitur alia nova & distincta oppositio cum aliquo præcepto vel virtute, quam qua reperitur in ipsa omissione: ergo neque ibidem reperitur distincta malitia. Min. probatur: quia, qui propter studium omittit Sacrum, non peccat contra aliam virtutem & præceptum, quam religionis, cum quo ipsa ommissio habet oppositionem, nec magis peccat, quam si merè otiosus illud omitteret. Unde secundum fidelium praxin nemo se in confessione sollicitus, an ex affectu studii, lusus, vel otii Sacrum omiserit, quod tamen utique faciendum foret, si illi actus distinctam malitiam haberet à malitia omissionis.

Objicies primò. Actus, qui provenit ex inordinato affectu, est malus: sed actus studii impediens auditionem Sacri provenit ex inordinato affectu erga studia: ergo est malus. Respond. disting. min. actus studii provenit ex inordinato affectu erga studia, inordinatione oppositâ virtuti religionis, concedo; oppositâ virtuti studiositatis, nego; neque enim actus studii proprie est malus, quod sit defectuosus circa propriam materiam & objectum studiositatis prohibentis excessum aut defectum in studio, sed quia est defectuosus circa objectum & præceptum Religionis, quæ sicuti præcipit auditionem Sacri, ita prohibet actum impeditivum auditionis Sacri.

Dices: Actus carens rectitudine ipsius studiositatis, habet malitiam & deordinationem tenentem se intra objectum & materiam studiositatis sed studium causans omissionem Sacri, caret rectitudine ipsius studiositatis: ergo in se habet deordinationem tenentem se intra materiam studiositatis, eique oppositam. Major sequitur è nobis principiis; siquidem peccatum formaliter constituitur in privatione debitæ rectitudinis: ergo actus carens debitâ rectitudine studiositatis habet formalem malitiam oppositam virtuti studiositatis. Minor verò constat ex dictis in Tract. de actibus. Ubi negavimus, eundem actum simul posse esse bonum, & malum: Atqui si studium simul haberet rectitudinem studiositatis, & simul malitiam omissionis, idem actus esset bonus & malus: ergo.

Respondeo. Actus carens rectitudine studiositatis ex directâ oppositione cum virtute studiositatis habet malitiam se tenentem intra materiam studiositatis, concedo; carens hæc rectitudinem indirectâ oppositione cum virtute & præcepto religionis, nego maj. & sic distinctâ min. nego consequentiam.

Instabis. Ille actus studii caret debitâ circumstantiâ

stantia temporis: ergo adhuc est contra virtutem studiositatis. Respondeo. Caret debita circumstantia, carentia ortu ab extrinseco, & ex motivo religionis, concedo; carentia ortu ab intrinseco & ex motivo studiositatis, nego anteced. & consequent.

8. Objicies secundò. Peccatum commissionis habet distinctam malitiam à peccato omissionis: sed studium, quo causatur ommissio Sacri, est peccatum commissionis: ergo. Minor probatur: peccatum, quod opponitur præcepto negativo, est peccatum commissionis: sed studium prædictum opponitur præcepto negativo non impediendi auditionem Sacri: ergo.

Resp. vel negando, vel gratis dist. maj. peccatum commissionis, in quo Tô commissio formaliter & moraliter accipitur, habet distinctam malitiam, transeat; in quo Tô commissio solum materialiter & physicè sumitur, nego: sed studium est peccatum commissionis Tô commissio solum accipiendo materialiter & physicè concedo; moraliter & formaliter, nego min. & consequentiam. Et ad probationem dist. maj. Peccatum, quod opponitur præcepto negativo formaliter & explicitè tali, concedo; præcepto negativo, quod implicitè includitur in affirmativo, & respicit motivum ejusdem virtutis, nego. Sed studium opponitur præcepto negativo non impediendi auditionem Sacri, ita ut hoc ipsum sit inclusum in affirmativo præcepto audiendi Sacrum, sitque proinde virtualiter affirmativum [nam hoc ipso quòd aliquis actus præcipitur, implicitè prohibentur impedimenta ipsius] concedo; ita ut sit explicitè & formaliter tale, nempe ex speciali motivo distinctæ virtutis, nego minorem & consequentiam.

§. III.

Corollaria.

9. Colliges ex dictis primò. Per se loquendo, nullam esse obligationem, in confessione exprimendi actum, qui est causa omissionis culpabilis, quia nullum constituit peccatum specie, vel numero distinctum à peccato omissionis: sicuti propterea neque actus externus nec internus sunt specialiter & distinctè exprimendi. Dixi tamen per se loquendo. Nam per accidens esse potest obligatio primò: quando actus est ex objecto malus, ut si causa furandi Sacrum omittitur, Se-

cundo: si affectus ad actum, v.g. ad venandum est tantus, ut ejus causa sis paratus quamlibet DEI legem transgredi; talis quippe affectus habet specialem repugnantiam cum virtute charitatis.

Tertiò: Cum voluntati omittendi aliquid præceptum, ipsa externa omisso non adæquatur: nam tunc voluntas sæpius omittendi est specialiter exprimenda, eò quòd diversitas objecti aliam numero malitiam refundat in voluntatem omittendi, quàm reperitur in ipsa externa omissione. Ita si habuisti voluntatem totà septimanà omittendi Breviarium, & unà tantum die omististi, debes utramque specialiter exprimere: sicuti qui habuisset propositum totà Quadragesimà comedendi carnes, & tantum primà Septimanà comedisset, propter numericam diversitatem malitiæ actus interni & externi deberet utrumque distinctè exprimere. Quariò: Si actus omissioni conjunctus auferat potentiam etiam in posterum implendi præceptum, propter quam impotentiam actus novam inducit malitiam: ut si nolens restituere rem alienam, illam hoc animo dilapidas: si, ne debeas in longa navigatione orare Breviarium, illud in aquam projicis. Dixi, in posterum; nam actus, qui observantiam præcepti tantum facit impossibilem de præsentì, exinde nullam specialem malitiam contrahit, cum non sit verisimile, quòd pro tali tempore homo sit mutaturus tuam voluntatem.

Colliges secundò. Illum, qui cum firma voluntate non audiendi Sacrum somno se daret paulò ante horam duodecimam, quà instat præceptum illud audiendi, non peccaturum capiendo somnum: quia non est verisimile, intra tam modicum tempus mutare velle suum propositum. Ita Godoyus cum Suarez sect. 3.

Colliges tertiò. Si quis, obligatus ad restituenda aliqua bona, datà operà illa distrahat, ne possit restituere, peccare per illam distractionem, quia reddit se impotentem ad præceptum actum restituendi.

Colliges quartò. Si quis haberet votum studendi eo tempore, quo domi non est occupatus, obligari ad studium, quando ex alio fine omittit audire Sacrum & domi remanet: quia supponitur possibilis & honesta actio studii, quæ ex omissione Sacri hic & nunc per accidens conjuncta non vitiat.

ARTICULUS II.

Quodnam fiat externum peccatum omissionis.

SUMMARI A.

- 1. Externa omisso præcepti est culpabilis, manente potentià desistendi ab actu impeditivo.
- 2. Non est peccatum post retractatam voluntatem, quà ponitur impotentia implendi præceptum.
- 3. Est peccatum, si voluntas non sit retractata non obstante impotentia servandi præceptum.
- 4. Auctoritas S. D.
- 5. Ratio triplex.
- 6. Exponitur Clement. si furiosus.
- 7. Quomodo omisso in se sit libera & peccaminosa? R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.
- 8. Solvuntur instantie quedam & paritates morales.
- 9. Cur ad meritum non sufficiat indirecta libertas?
- 10. Per omissionem completur voluntarium.
- 11. Idem sentiendum de effectibus voluntariis in causa.

§. I.

Quaritur non de internà voluntate omittendi, sed de ipsa omissione externa, quæ est effectus

Bb 2

fectus & complementum voluntatis internæ.
De qua

Suppono primò. Peccari externo peccato omissionis, quo tempore urget obligatio præcepti, & non impletur, si post causam omissionis liberè postquam adhuc est in parte omittentis, ut posset ab actu impeditivo operis præcepti desistere, & implere præceptum. Veluti cum quis tempore audiendi Sacrum dat operam ludo, venationi, &c.

2. Suppono secundò. Non peccari externo peccato omissionis, sed solâ internâ voluntate omittendi, quando prima voluntas omittendi fuit seriò retractata, & non est amplius in parte omittentis omissionem impedire. Ita si quis Clericus ex voluntate non recitandi Breviarium in itinere nautico Breviarium in aquas projecit, & postea seriò doleat de tali projectione, sequens ommissio Breviarii non amplius ipsi imputatur in culpam; siquidem per retractionem primæ voluntatis abruptur moralis influxus voluntatis in illam omissionem, sicque definit esse voluntaria in causa. Unde status quæstionis est pro illo casu, quando quis liberè posuit causam omissionis, neque voluntatem omittendi retractavit, interea tamen ad implendum præceptum factus est impotens, v. g. per somnum aut ebrietatem, quâ ligatur usus rationis, utrum peccet peccato omissionis non illo solùm tempore, quo liberè posuit causam omissionis, [de quo nullum est dubium] sed etiam quo omittit præceptum, quamvis illo tempore præceptum implere non possit?

3. CONCLUSIO. Quando ommissio externa manet voluntaria in causa, peccatur eo quoque tempore, quo fit ommissio præcepti, non obstante impotentia implendi præceptum, v. g. per somnum vel ebrietatem.

4. Authoritas D. Thomæ q. 76. a. 2. ad 3. dicens: Sicut in peccato transgressionis [h. e. commissio] peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus à voluntate; ita in peccato omissionis non solum actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa ommissio, in quantum est equaliter voluntaria. Et in 2. a. q. 79. a. 3. habet: Dicendum, quod ommissio ei imputatur ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua ommissio sequens redditur voluntaria. Unde

5. Ratio conclusionis est primò. Ad peccatum sufficit voluntarium in causa: sed externa ommissio prævisa in causa liberè posita est voluntarium in causa: ergo est peccatum. Utraque præmissa constat à paritate aliorum peccatorum: nam & homicidium in ebrietate prævisum, & pollutio in somnis causata per præcedentes impuras cogitationes sunt vera peccata.

Secundò. Qui Sacrum præceptum omittit in somno, cui se liberè tradidit, prævidens probabiliter in illo futuram omissionem Sacri, is peccat peccato externo omissionis: sed non peccat peccato formali & completo omissionis, quo tempore causam ponit, & se somno tradit: ergo illo tempore, quo Sacrum actu omittit. Major videtur certa, quia peccat contra præceptum affirmativum audiendi Sacrum, & tenetur in foro penitentiali se non de sola voluntate, vel posita causa omittendi, sed ipsa etiam omissione accu-

sare, & si qua censura actuali omissioni foret annexa, haud dubie illam incurreret; sicut & beneficarius tali modo omittens Breviarium tenetur ad restitutionem. Minor quoque probatur quia pro illo tempore, quo causa omissionis ponitur, potius peccatur contra præceptum negativum non ponendi causam omissionis, quod virtualiter includitur in præcepto positivo audiendi Sacrum. Neque propter illius causam positionem posset in confessionali se accusare, quod Sacrum omisisset: ergo eo tempore non peccat formali & completo peccato omissionis. Unde S. D. l. c. proximè cit. Si quis, inquit, per vim excitatus abstractus à somno compelleretur audire Sacrum, talis non peccaret peccato omissionis, idcirco, non teneret penas, si que forent imposte omittentibus.

Ratio est tertio. Si ipsa ommissio Sacri, tempore somni liberè & cum prævisione securæ omissionis præsentis, non esset mala, neque voluntate omittendi esset mala: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur primò: quia voluntas, quæ non fertur in objectum malum, non est mala: sed per Adversarios ista ommissio non esset mala: ergo neque voluntas omissionis. Secundò: quia desiderare tantum effectum alicuius peccati, non est malum: sed qui vellet omissionem Sacri præcepti causatam in somno, iuxta Adversarios tantum vellet effectum peccati: ergo illa voluntas non esset mala. Major probatur exemplis: quia licet mulieri desiderare partum prolis per adulterium conceptæ, licet etiam desiderare effectum sanitatis & nutritionis à caribus comestis contra interdictum Ecclesie, quorum uterque effectus provenit ex causa peccaminosa.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obijcies primò. In Clementi, si furiosus, de homicidio, dicitur, quod homicidium factum à puero, furioso, insano, aut dormiente non inducat irregularitatem. Et de incestu Loth Patriarcha in ebrietate commisso dicitur Aug. l. 22. contra Faust. c. 24. Inebriatus Loth filia ejus, & se nesciens miscevit, quo propter culpandum est Loth, non tamen quantum ad incestum, sed quantum illa meretur ebrietas. Et quibus videtur inferri; id quod fit in somno aut ebrietate non esse peccatum, sed effectum peccati.

Respondeo, Clementinam loqui in casu homicidii non prævisi, adeoque nec in se, nec in causa voluntarii. Similiter Loth excusatur à peccato incestus, siquidem iste nullo modo fit ab ipso prævisus.

Obijc. secundò. Eo modo habetur ratio peccati, quo modo habetur ratio liberi & voluntarii, sed ommissio non libera est & voluntaria in se, sed in causa: ergo pariter non est peccaminosa in se, sed in sua causa.

Respond. datâ, non concessâ maj. dist. min. Ommissio non est libera in se, h. e. libertate immediate accepta à voluntate, concedo; non est libera in se, h. e. libertate nec mediata in se deprivatâ, nego, ergo non est peccaminosa in se, quâ ratione peccati immediate accepta concedo; nec mediata in se receptâ, nego consequent.

Dices. Peccatum actuale requirit voluntarium actuale: sed illa omiffio non est actu voluntaria: ergo nec est actuale peccatum. Respond. requirit voluntarium actuale, actualitate voluntarii vel formalis, vel virtualis, concedo; solum formalis, nego. Illud consistit in presenti actu voluntatis; istud verò in permanentia actus præteriti in aliquo suo effectu.

Instabis. Qui non habet potentiam implendi præceptum, non peccat contra præceptum; nam ad impossibile nemo tenetur: sed in somno vel ebrietate nemo habet potentiam implendi præceptum: ergo tunc nemo peccat.

Respond. dist. maj. qui non habet potentiam tam antecedentem, quam consequentem, non peccat, concedo; qui non habet potentiam consequentem, nego. hæc enim cum sit ab ipsa voluntate causata, non impedit liberum voluntarium, nam etiam te lex obligat cum non potes, si per te fecerit, quod non potes.

8. Objicies tertio. Votum in ebrietate emissum non valet; neque formæ Sacramentorum in somno, vel ebrietate pronuntiata; tamen quis prævideat, se in somno talia verba locuturum, vel habeat intentionem ejusmodi verba proferendi supra debitam materiam, & faciendi quod facit Ecclesia: ergo neque omiffio facta tempore somni vel ebrietatis imputari potest in peccatum.

Respondeo negando consequentiam. Et ad primum disparitas est, quod votum ad sui substantiam requirit formalem & directam voluntatem se obligandi, quæ non reperitur in verbis tantum materialibus à dormiente vel ebrio prolatis; e contra ad peccatum sufficit voluntarium indirectum, virtuale, & in causa. Ad secundum ratio disparitatis est, quod Christus ad esse Sacramentale elevavit verba formaliter significantia, qualia non sunt verba ab ebrio & dormiente more pstraci prolata: item voluit, ut Minister in Sacramento conficiendo haberet moralem certitudinem debitæ materiæ, qualem habere non potest constitutus in tali statu.

9. Dices. Ad merendum non sufficit libertas indirecta: ergo neque ad peccandum. Respon-

deo negando consequentiam. Disparitatem dat S. D. hic q. 71. a. 5. ad primum dicens: *Plura requiruntur ad bonum, quam ad malum, eò quod bonum contingit ex integra causa, malum vero ex singularibus defectibus. Et ideo peccatum potest contingere, sive aliquis faciat, quod non debet, sive non faciendo, quod debet: sed meritum non potest esse, nisi aliquis faciat voluntarie, quod debet.* Hæc S. D. Quorum sensus & ratio ulterior est: quod honestas nunquam est voluntaria, nisi voluntas directè moveatur ab honestate objecti, prout in Tract. priori ostensum est, & consequenter meritum & honestas non reperitur nisi in voluntario directo; at verò malitia, cum nec sit nec propriè possit esse directè & motivè voluntaria, cum nemo intendens malum operetur, tantum possit esse & sit voluntaria terminativè: atqui voluntarium terminativum duplici modo fieri potest, sive faciendo quod non debet, h. e. directè faciendo actum prohibitum, sive non faciendo quod debet, h. e. omitendo actum præceptum, quod est voluntarium indirectum, & indirectè terminans voluntatem.

Colliges ex dictis primò. Omiffionem vel effectum aliquem non ideo dici voluntarium in causa, quasi tota ratio voluntarii absolvatur in causa, sed quia ipsi ratio liberi & voluntarii convenit per denominationem extrinsecam à causa in effectum derivata, ita ut in ipso terminetur, ac consummatur voluntarium. Unde etiam peccatum omiffionis inchoativè quidem est in causa, consummativè verò in ipsa omiffione externa.

Colliges secundò. Quod de omiffione dixi. II. mus, ob paritatem rationis etiam esse dicendum de positivis effectibus voluntariis in causa. Ideoque non sufficit in confessione exponere causam malam, è qua sequitur effectus malus, sed oportet insuper exprimere effectum, qui in illa pravus fuit, aut prævideri debet, e.g. non sufficit se accusare de impuris cogitationibus, quæ fuerunt causa turpium motuum in somno fecutorum, sed etiam oportet ipsos motus exprimere, in quibus impuritas in voluntate inchoata consummatur.

DISPUTATIO XIX.

DE

Distinctione peccatorum.

ad q. 72.

Inspeimus naturam peccati secundum communem ipsius rationem, ut est in se ipsa, nunc ad magis particularem & specificam ipsius rationem cum S. D. progredimur, & principia, unde specifica peccatorum distinctio peti debeat, statuimus. Addimus etiam ob materiæ connexionem regulas, ex quibus numerica peccatorum distinctio cognosci queat, quas aliqui differunt ad Tractatum de penitentia.

Bb 3

ARTI-